



1718
DISPUTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA

DE
EO QVOD IYSTVM EST 31
CIRCA 1718, 26
LOTTARIAS

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIE, JVLIIACI, CLIVIE, MONTIVM, ANGA-
RIÆ, WESTPHALIE, ET RELIQA,
IN ACADEMIA SALANA

EX DECRETO ILLVSTRIS FCTORVM ORDINIS
PRÆSIDE

VIRO ILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. CHRIST. WILDVOGELIO,

JCTO CONSVMMATISSIMO, SERENISSIMO DVCI-ISENACENSI
A CONSILIIIS INTIMIS, CVRIÆ PROVINCIALIS ASSESSORE,
COLLEGIORVM JVRIDICORVM SENIORE, VT ET ANTECES-
SORE IN ACADEMIA JENENSI GRAVISSIMO, MECOENATE PIA
DEVOTIONE AD CINERES COLENDO,

PRO GRADV DOCTORALI

D. XXII. OCTOBRIS CIO 10CC XVIII.

Publice in Auditorio Juris-Consultorum defendet

AUTOR ET RESPONDENS

JOANNES PAVLVS ÆGIDIVS NITSCHIVS,

ADVOCATVS GLAVCH - SCHÖNEVVRG.

I E N A E,

LITTERIS MVLLERIANIS.

DISPUTATIO IN AVGARALIS IURIDICA

HO QVOD IUSTVM EST

CIRCA

LOTTARIAS

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPLE AC DOMINO

EN. GUILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIE, IULIACI, CIVIS, MONTIVM, ANGA-

RIE, WESTPHALIE, ET RELIOVA,

IN ACADEMIA SALANA

EX DECRETO IURIS PECTORVM ORDINIS

PRÆSIDE

ALIO HONORARI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DR. CHRIST. WILDOGGELIO

DOCTO COMMATISSIMO, SELENISIMO DUCTI, SENACENSIS

A. COMITIS INTIMIS, CIVIS PROVINCIÆ ASSASSORE,

COLLEGIORVM ILLUSTRIORVM SENIORS, VI ET ANTICES-

SOLE IN ACADEMIA HONORARISSIMO, M. COGNATE VIA

DEVOTIONE AC CUM REVERENTIA

PRO GRADU DOCTORALII

IN XPIE OCTOBRIE ANNO 1700 XVII

habitus in vestibus Juris-Capitulum et habitus

AVTOR ET RESPONDENS

IOHANNES PAVLVS EGIIVS NITSCHIVS

ADVOCATUS CIVIS. SCHONBERG.

1 7 1 7 4 5

LITTERIS MALLERIANIS



B. L. S.

Tantum hodie invaluit scripturandi
 cacoëthes, ut quamplurimi ex his,
 qui litteris dant operam, nec ho-
 nesti viri titulo se judicent dignos,
 nisi & ipsorum nomina in Biblio-
 polarum valvis coruscent. Hoc si
 non alio modo consequi possunt, magni alicujus Vi-
 ri & de literaria Republica optime meriti famam
 laceffere, aut studii alicujus Reformationem, ut
 loqvuntur, sulcipere satagunt, quod tamen ipsi
 Vix

vix in vestibulo salutarunt, adyta ejus ingressi sunt
 nunquam. Est nihilo secius erecti & ad publica com-
 moda nati ingenii argumentum, editis in publi-
 cum scriptis, publico pro virili prodesset velle: est
 etiam legibus introducta quaedam necessitas, quæ
 Scripti alicujus evulgati solennem defensionem in-
 jungit Doctorem lauream ambientibus: hanc ut
 consequi nitatur, Patroni volunt, illam academia,
 Statuta injungunt. Hinc est, benevole Lector,
 quod præsentis de LOTTARIIS, quas vo-
 cant, theses judicio Tuo censuræque subijciam;
 eoque lubentius, quia dissertationem academicam,
 hac de re juridice conscriptam, adhuc vidi nullam;
 Caterum accuratius fufiusque illas propositurus
 fuiffem, nisi temporis angustia impedimento fuerit.
 Annuat cœptis supremum Numen!

Q.D.B.V.



Q. D. B. V.

THESIS I.



Lotaria sive *Lotteria* vocabulum, an *Etymologia & Synonymia* à voce *lota*, quod collata symbola denotat, an ab Italico *lotta*, id est, *nonymia* *lucta*; an vero à germanico *Loosen/ Loten/* an vero aliunde derivetur, *vocis Lotaria.*

Dn. Clerici *Betrachtungen von Glück und Unglück*
Capit. 1. Sufficit nobis, hoc vocabulum quotidiana-
 praxi ita esse receptum, ut de ejus autoritate & nota-
 tione amplius dubitare non liceat. Et parum porro
 nostra intererit, num institutum hoc *Lotaria*, descen-
 dat ab antiquis Atheniensium & Romanorum sortitio-
 nibus, quibus in deligendis magistratibus, in sortien-
 dis provinciis & aliis causis, frequenter uti solebant,
 juxta *l. 14. ff. de judic. l. 3. C. communia de legat.* Si-
 gonius *de judic. cap. 12.* sive tanquam novius aliquod

A

ad.

adinventum, Belgarum solertia mercatoria adscribendum sit; cum negari non possit, quod usus & experientia variarum nationum hoc institutum adeo exculturum reddiderit, ut regulis illius vix addi aliquid aut commodius adjici queat. Inter Synonyma alias generaliter refertur appellatio *Glücks-Hafen* / *Glücks-Topff* / *Topffspiel* / Olla fortunæ, item Ludus rissa. Conf. Speidel. item Befold. in *Thes. Pract. sub hoc vocab.*

THES. II.

Obreftatorum Loteriarum argumenta breviter respondetur.

Quanquam autem non desint hujus inventi obreftatores, qui illud tanquam improbum & usurariæ pravitatis labe ac corruptelæ morum vitio affectum esse, clamitent, uti ex Jctis extat Franc. Cyriac. Nig. *Controvers. Forens. 422.* Honor. Leotard. *de Usur. Contract. Quest. 23. n. 53.* Conr. Suevus in *Tract. German. von Glücks-Topff.* Et ex Theologis maxime adversatur Conrad. Schlüsselburgius, cujus *Bedencken von Glücks-Topff* / exhibet Dedekenn. in *Consil. Theol. Vol. II. Sect. VIII. n. 15.* atque horum omnium argumenta in Compendio exhibet Voëtius *de Alea Lusu pag. 227. num. VII.* verb: *An contractus illi sortium, vulgo dicti Loteria, it, rissa, sint liciti? Resp. affirmat. Delrio cum Briardo, Garcia, Lopefio, Molina, Suarez, quia nihil aliud sunt, quam implicita quadam venditio, respectu exponentis merces suas, & sors divisoria, respectu emtorum. E nostris omnes privatorum Loterias repudiant, nonnulli de publicis dubitant, ut Amesius de Casib. conscientie lib. 4. c. 23. quamvis tamen subdat, prout nunc usurpari solent, videntur illicitæ. Politici, inter quos Keckermannus, institutum lau-*

laudant. Nos illicitas & reipublice noxias esse putamus, quicquid bonum publicum praeferatur; tum quia cum iniustitia, damno proximi & expilatione pauperum conjuncta sunt, quod est contra legitimam rationem sortis divisorie, tum quia homines ad illicita media, rem faciendi per aleas & sortes scilicet, alliciuntur, spe lucri proposita, sed fraudulenta, tum quia certiori ratione & minori cum periculo & malorum firmate, per collectas reipublice aut pauperum necessitati subveniri potest: Denique sequeretur hoc absurdum, quod eodem colore omnes lusus aleae, quo proximi substantiam intervertimus, defendi possent. Verum si haec omnia argumenta in contrarium posita ponderemus, id tantum concludunt, quod abusus hujus instituti taxetur, & mali hominum affectus saepe in iniustitiam & fraudem degenerantes, corripiantur, quod tamen instituto isti per se nihil potest detrudere. Et omnia ista argumenta per retorsionem quandam applicari possent ad res innocentissimas, & omnium consensu approbatas, omnes scilicet contractus, in quibus innumerae fraudes, dolosae lucri captationes & jacturae saepius hominum incidunt, nec tamen propterea quisquam, sana mente praeditus, contractus ipsos improbabit, utpote qui, demitis malis hominum affectibus, primum fundamentum vinculi socialis, & libertatis commerciorum naturalis constituunt.

THES. III.

Referimus proinde sortitionem Lotariae, juxta regulas nimirum justitiae ordinatam, ad rem indifferentem, naturaliter licitam, & pollice utilem, utpote ex naturali

Lotaria
est res in-
differens
& licita.

rali Domini, & contractuum jure permissam. Unde etiam Augustinus in *can. 1. caus. XXVI. quest. 2.* allegatus, ait: *Sors non aliquod mali est, sed res est, in dubitatione humana, divinam indicans voluntatem.* Quæ verba, siquidem generaliter concepta, non tantum de fortibus ecclesiasticis olim in ecclesia usitatis, verum etiam de fortibus politicis accipienda sunt, cum nullum extet dictum scripturæ in contrarium, quod usum sortium licitum rejiciat. Et cum nec Constitutio civilis in contrarium proferri possit, quæ hanc rem absolute prohibeat, non video, quare institutum hoc, ex naturali libertate promovendi res suas, sine injuria tertii, sit improbandum. Hinc recte Delrio, in *Disquisit. Magic. Lib. IV. cap. 4. quest. 2. conclus. 1.* ita concludit: quod contractus Lotariæ sit licitus, patet, quia nullo jure, nec naturali, nec divino, nec humano prohibetur. Non naturali, quia celebrari sic potest, ut nulla in eo interveniat iniquitas, si serventur conditiones. Secundo, quia cedere potest in publicam utilitatem. Tertio, quia secundum se nihil est aliud, quam sors quædam divisiõria, instituta ex beneplacito concertantium, sive confortientium. Quod divino jure non sit prohibitum, probatur, quia nec per sacram scripturam, nec per ullam traditionem ecclesiæ interdicitur. Quod nec jure humano, probatur, quia nec civilis nec canonica lex ulla profertur, quæ de hoc contractu expresse egerit. Hactenus ille

Probat
asserit ex
jure divino
naturali
& revela
to.

THES. IV:

Quodsi enim placita divini juris tam per revelationem patefacta, quam per rationem cognoscenda, consideres,

deres, est hoc Lotariæ institutum ex genere illorum, quæ ad fortunam judicem, sive ad iudicium sortis referuntur, atque ad illa negotia pertinet, in quibus fortuna & casus cum actibus humanis miscentur. Et quidem de jure divino positivo seu revelato, constat id ex *Proverb. XVI. vers. 33. XVIII. vers. 18. Numeri XXXIV. th. 13. Josua XIV. vers. 2. & Psalm. XVI. v. 6.* Conf. Dannhauer. in *Colleg. Decalog. Diss. III. part. II. th. 70.* Rationem vero naturalem quod attinet, declaratur nostrum assertum, ex natura pactorum & contractuum, ad quos merito nostra Lotaria refertur, cum involvat conventionem quandam partium reciprocam & repromissionem, cujus decusum eventui sortis committunt. Dn. Buddeus in *Elem. Philos. Pract. part. II. cap. 4. sect. 6. §. 41.* Altera ratio naturalis, consistit in ratione Domini, quod liberam de rebus suis paciscendi facultatem concedit, quatenus legibus non adversatur, *argum. L. 5. ff. de J. & J. L. 21. C. Mand.* Eademque naturalis libertas permittit, periculum suscipere, ejusque nomine certam æstimationem subire, siquidem in moralibus periculi quoque susceptio habeatur æstimabilis, prout exempla in contractu societatis, æsecurationibus, sponsonibus, aliisque negotiis satis evincunt. Grot. *de J. B. & P. L. II. cap. 12. §. 23.*

THES. V.

Politica porro rationem si spectes, referri potest *Politica* Lotaria, si *privatim* fiat, ad genus commerciorum, & *Lotaria* ita ex naturali & politica commerciorum libertate, *ratio.* omnibus habetur permissa, quatenus lex provincialis, vel alia Superioris prohibitio restrictionem non addit.

dit. Ut hinc commercium exercere prohibiti, v. g. Judai, in nonnullis provinciis, neque Lotariam instituenti facultatem habeant, siquidem prohibitio generalis in qualibet ejus specie operatur; *arg. L. I. §. 1. ff. de Legat. prestandis contra rabb.* Sin vero publica sit Lotaria in politica sua relatione considerata, referri potest ad genus collectæ, quæ publica Principis autoritate, in usum publicum instituitur, idque contributionis genus, eo minus incommodi quid affert reipublicæ, quod bona nullius taxentur, nec inviti excutiantur, sed ad charitativum quasi cujusvis voluntatis subsidium, referatur, qui ponere aliquid velit, & suam fortunam tentare, ut ita & libertas, & spontanea voluntas conferentium, æquilibrium certe collectarum prudentissimum servet, siquidem illud semper collectandi medium turissimum habendum est, quod sine cujusvis incommodo, sponte à quolibet ad usum publicum confertur; Keckermann. *Lib. I. Polit. cap. 21. 22. Klock. de Contributionibus cap. 17.*

THES. VI.

*Species
Lotarie
recensetur.*

Commemorantur autem ab Interpretibus, Moralisticis pariter, JCris ac Politicis variæ fortitionum species, in quibus nostrum Lotariæ institutum cernitur, ex quibus duæ potissimum ad nos hoc loco spectant. *Primo*, quando plures de re, quam collatitia pecunia emunt, postea sorte decernunt, cui sola ea tota cedere debeat: in qua specie Lotariæ duo contractus miscentur, primus respectu ejus, qui jocale, supellectilem, vel aliam rem exponit, & est vera quadam, sed implicita

plicita venditio, quo pro certa summa pecuniæ aliquis, omnibus illis, qui summam illam conferunt, vendit rem illam, v. g. equum, certis personis sortientibus: Secundus respectu emptorum sortientium inter se, nimirum contractus quidam sortis divisoriæ; Censentur enim inter se separatim convenire, ut, cui fors favet, ille pro suo collato symbolo totam rem, v. g. equum, habeat, ceteri vero dispendium suæ collationis ferant, prout casum in terminis in Scabinatu Jenensi exhibet L. B. de Lyncker. *Vol. I. Respons. 167. n. 25.* Neque aliud requiritur ad justitiam contractus utriusque, quam ut tota summa simul adæquet, non vero excedat valorem mercis, & ipsi ementes omnes æqualiter subjiciantur utrique fortunæ, lucri & amissionis. Conf. Delrio in *Disquis. Magic. Lib. IV. cap. 4. quest. 2. Secundo* speciem Lotariæ peculiarem facit, quando, dejecto in urnam certo tesserarum seu schedularum numero, inscriptarum & inanium, pretio redimitur facultas eas extrahendi, ita ut extrahens id capiat, quod illarum inscriptio præ se fert. Hic contractus proxime ad emptionem spei accedit, etsi plurimum aleæ sit admixtum. Add. Puffend. de *J. N. & Geni. Lib. V. cap. 9. §. 6. 7.* Ab objecto præterea infinitas fere Lotariæ species posses constituere, quæ tamen ipsam formam non afficiunt, differentiam etiam specificam non constituunt, neque jus ipsum variant, sicuti ex Novellis publicis hactenus observata fuerunt, *Bücher Loterie, Jubelen Loterie, Gläser Loterie &c.*

THES.

THES. VII.

*Thema
tractatio-
nis indica-
tur.*

Ex hisce proinde speciebus illam tantum no-
bis, Speciminis Inauguralis loco, considerandam
sumimus, qua conjectis in unam urnam, publice con-
stitutam, schedulis seu globulis, quisque facultatem
extrahendi certo quodam pretio redimit, sorte in
publicos usus deputata, prout Belgas & Senatum Ham-
burgensem hoc sæpius tentasse, notat Lather. *de Censu Lib.*
III. cap. 15. §. 35. Et hodie ubivis fere locorum publica
autoritate tractatur, non sine multo reipublicæ commo-
do. Klock. *de Ærar. Lib. II. cap. 118.*

THES. VIII.

*Differen-
tia Lotar-
ia ab Olla
fortuna.*

Publice dum constitutam dicimus, excludimus hic
Ollam fortunæ privatam, quæ certe non facile sine spe
improbi lucri & sæpius immoderati, attentatur, & ob
id facilius censuram meretur, quam nostrum institutum
publicum, cujus ratio ex publica & communi omnium
utilitate defenditur, prout etiam bene inter Ollam for-
tunæ & Lotariam contradistinguit Stryck. *in Not. ad
Lauterbach. tit. de Aleator. Not. ult.* Atque hinc recte
concludit in nostram sententiam Befoldus ex Bornitio
in Thes. Pract. Voc. Glücks-Haafen his verbis: *Ratio
ejus, scil. Lotariæ publicæ, longe differens est, ab Ollis
privatis circumforaneorum, qui mille dolis pecuniam a ple-
be, sub pretextu lucri aucupari, & aliorum extra fines
imperii transferre solent. Quanta enim fraudulentia &
corruptio mercium, quanta impostura cum schedulis, in-
spectoribus etiam publicis presentibus, committatur, ipsi
morunt, qui in hac rebus exercitati & sæpe decepti fuerunt;*
Add.

Add. Binsfeld. *de Usur. ad cap. naviganti. quest. 4. fol. 534.*
 Bornit. *de Aerar. Lib. II. cap. 4.*

THES. IX.

Finis & æquilibrium politicum nostri instituti, Lo-^{Finis Lo-}tarix publicæ, in eo potissimum consistit, ut fiat promptior ^{varie} & spontanea pecuniarum ad usus publicos collatio, quæ ^{publicæ.} alias ab invitis, non nisi immitti sapius executione forent extorquendæ. Puffend. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. V. cap. 9. §. 7.* Accedit præterea ex usu pecunia collatæ, intermedio tempore, quo conferuntur, non exiguum ex integra quantitatis summa inter usurium ad publicam utilitatem, ex quo singulis non multum decedit, & ita est hic modus lucrandi, sine injuria alterius, quæ in volentem & pecunias sponte, per anticipationem quandam, conferentem, non cadit, & sine noxia ac damno proximi, cum parva illius quantitatis collatæ summa, exiguum lucrum solventi interim attulisset, & vel, si fors spe exciderit, ad rationem damni casualis referri potest, quod quisque æquo animo ferre debet, cum se ab initio casui commiserit, & sic in omnem ejus eventum tacite consensisse intelligatur; vel, si fors bene ceciderit, satis lucro accepto compensari poterit intermedium usurium parvi forte symboli collati. Supervenit etiam hoc, quod per hoc exterorum pecuniæ, in sublevamentum onerum publicorum attrahantur, & opes ab exteris invehantur, quando media interna non sufficiunt, vel facultates subditorum & ordinariæ collectæ in alium usum paratæ necessitatis forent reservandæ. Peller. *in addit. ad Klock. de Aerar. Lib. II. cap. 118.*

B

THES.

THES. X.

*Lotaria
est genus
collecte
extraor-
dinaria.*

Referimus autem Lotariam publicam in eo, quod excedit taxam sortium, ad genus *Collectæ*, & quidem *extraordinaria*. Puffend. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. V. cap. 9. §. 7.* Siquidem in eo, a communi collectarum nomine & natura differt, quod sine imperio civili conferatur, & sit genus aliquod oblationis & collationis spontanea, ad quam nemo cogitur. Unde differentia patet (1) a *collectis* subditorum ordinariis, tam personalibus, quam realibus: ad has enim subditi ac forenses possunt per Magistratum politicum cogi, & obligantur ad istas, ex subjectione civica, propter personam vel rem. *tt. ff. de muner. & honor.* At Lotariæ collationes ad meram liberalitatem referuntur, & sic collectæ a *colligendis* pecuniis, non vero a coactione munerum, dici possunt. Optime hanc differentiam inter collectam seu munus, quæ ex necessitate solvitur; & illam, quæ ex libertate doni sive oblationis spontaneæ datur, exponit Jctus Marcianus in *Leg. 214. ff. de V. S.* dum ait: *Munus proprie est, quod necessario obimus, lege, more, imperiove ejus, qui jubendâ habet potestatem. Dona autem proprie sunt, quæ nulla necessitate juris, officii, sed sponte præstantur, quæ si non præstentur, nulla reprehensio est.* (2) ab *accisa*, vectigalibus, & aliis contributionum speciebus, quæ licet ab extraneis quoque, non subditis, pro mercibus invehî vel evehi solitis, præstentur, tamen etiam ex necessitate obligationis solvendæ veniunt, & pro fundamento habent lucrum aliquod negotiatorium ac mercatorium, non
vero

vero fortis aut fortunæ emolumentum vel detrimentum respiciunt.

THES. XI.

Medium porro subsidiarium Lotariam esse debere, nonnulli Politici statuunt. Dither. in *Supplem. Speciel. voce Glücks, Hafen* / ex eo, quod videatur prode-
 re defectum aliquem virium atque inopiam facultatum. Verum non putamus, hanc rationem hodierno tem-
 porum statui convenire, ubi media augendi ærarium ad summum fere culmen pervenerunt, & nullum me-
 dium, alias per se non illicitum, rejicitur, ad vires fisci vel sublevandas, augendas, vel promovendas, ut inde non statim pro vicio status aut defectu fisci haberi de-
 beat, alienis opibus ditare Cameram, cum lucrandi studium ex communi mortalium affectu, publicum æque ac privatum statum pervagetur.

*Lotaria
an sit re-
medium
subsidi-
arium.*

THES. XII.

Jus instituendi Lotariam publicam, ad Regalia & jus territoriale Principis seu Status Imperii referimus, ex eo, quod speciem collectæ publicæ faciãt, quales indicare, solius est Principis *l. un. C. de Superindicto l. 8. Cod. de Excusat. mun. Knichen. de sublim. territor. jure cap. 4. n. 422.* Et licet Principis potestas ultra territorium non pateat, nec jus collectandi in extraneos, non subditos, competat; Attamen modus ille cogendi pecuniam ad rationes publicas refertur, & sub fide territorii publica instituitur, quam proinde dare, summi tantum Principis esse censetur *arg. l. 5. ff. de pact. Vinn. de Pactis. cap. 3.* Accedit & illa ratio, quod res aut præ-

*Instituãt
Lotarias
publicas
Principis
seu Status
Imperii.*

mia, quæ sortibus publicis exponuntur, vendantur & ta-
 xentur majori pretio, quam revera ex suo proprio va-
 lore constant, & præmia pauciora, quam pericula po-
 nuntur, ut ita lucrum intentatum ad usus publicos inde
 redundare possit. At vero Principis tantum est, prætia
 rerum pro communi necessitate & usu reipublicæ extol-
 lere, & justo ampliora statuere, ex jure scilicet superio-
 ritatis, & dominio aliquo circa res supereminenti.
Struv. Synr. Jur. Civ. Exercit. XXIII. lb. 19. Etenim, si
 tale quid circa augmentum pretii a privato tentatum
 fuerit, facile hoc in crimen aliquod extraordinarium
 posset devertgere, & hinc merito ad reservata Principis
 & cognitionem superioris magistratus refertur. *Conf.*
Molin. de J. S. J. Tract. II. Disp. 509. n. 7. Vnde quo-
 que Lotaria publica a nemine tentanda, neque a Præ-
 fectis inferioribus concedenda, sine consensu & præsci-
 tu Principis, uti expresse monet *Ordinatio Politica Ele-
 ctoris Palatini. Tit. I. n. 22.* sub rubrica von Glücks-
 Haafen. verbis sequentibus: Nicht minder erfähret
 man täglich / daß die Aufrihtung und Ausfundi-
 gung der Glücks-Haafen / wie man sie nennet / zu
 gar gemein werden will; also daß auch *privat* Per-
 sonen sich dessen anmaßen / und durch diesen ihren
 vortheilhaftten Gesuch zu bereichern vermeinen / da-
 durch das Geld von denen armen Leuten / davon
 sie zu ihren Nöthen und Unterhaltung bedürfftig /
 gelocket und außer Landes gebracht würde. Darum
 ordnen und wollen wir / daß unsere Beamten alle
 ihres anbefohlenen Amts Unterthanen hiervon ver-
 warnen

warnen und abmahnen / auch diejenigen Personen / so mit dergleichen Haafenwerck herum ziehen / und ihren selbst eigenen Nutzen darunter suchen / wo die betreten / gebühlich hinweg weisen. In Fall aber von Chur- und Fürsten / oder ansehnlichen *Communen* / angeregter Haafen / ein oder mehr ausgehen / und unser Gebiethe die Beschaffenheit desselben verflünder oder angeschlagen werden wolt / sollen unsere Amtleute ehe solche nicht verstätten / biß sie das an uns / oder unser Regiment gelanget / und Bescheid darüber bekommen haben.

THES. XIII.

Sed num jure Feudi jus Lotaria instituenda possit concedi? inquirendum hic venit. Certe si jura Statuum spectemus, quatenus talia per nexum investiturae imperialis feudalem ab Imperatore & imperio Statibus sunt collata, non possumus non propositam quaestionem affirmative decidere, asserentes omnino, quod sub jure territoriali & inspecie sub jure fisci, atque sub jure collectandi, etiam jus concedendi & instituendi Lotarias, Statibus, cum reliquis juribus territorialibus simul collatum fuerit, & tanquam fructus civilis juris collectandi haberi debeat. Add. Myler. *de statib. Imper. cap. 62. & seqq.* Ex pari ratione etiam Princeps territorii per modum alicujus subinfodationis poterit exercitium hujus juris aliis, sub nomine privilegii alicujus, concedere *arg. II. feud. 9.* Caterum sub utili dominio fundi alicujus in feudum dati, hoc jus privato non censemus collatum,

*Num Jus
Lotariae
recipiar
Feudum.*

aliud enim est concessum jus territorii; aliud concessum jus territoriale; hoc plenus est & complexum quandam Superioritatis generalem involvit, & jura majestatis analogica per universitatem continet, exceptis illis juribus quæ juxta Leges imperii fundamentales, speciali concessione opus habent, & sub jure territoriali per se non continentur, uti est jus vectigalium, & cudendæ monetæ. At vero simplex jus fundi seu territorii est restrictive interpretandum, & ita tale jus non complectitur, nisi literis investituræ speciatim sit comprehensum, sunt enim tales literæ investiturarum strictè interpretandæ, maxime si agatur de concessione regalium aut jurium regalibus connexorum. Rosenth. Synops. Feud. cap. I. conclus. 52. Carpz. Part. II. Const. 45. def. 30. Verum an jus Lotariæ ita concessum, faciat feudum proprium, an improprium? non ita in aprico est; Pro posteriori asserto militat, quod Vrna fortunæ in se sit res mobilis, & possit de loco in locum, salva sua substantia, transportari, porro & merces ac res Lotariæ itidem mobilia contineant, ut sic feudum tale, tanquam super re mobili constitutum, videatur esse improprium. Koppen. decis. 18. n. 13. Stryck. in Exam. J. Feud. cap. IV. th. 21. At vero prius potius est asserendum, haberi tale jus concessum pro feudo proprio, siquidem in hoc actu investituræ feudalis non urna respicitur, quæ Lotariam non constituit, sed tantum tanquam instrumentum executionis adhibetur; nec merces seu res sortium, siquidem hæ non ad formam Lotariæ, sed tantum ad exercitium juris concessi pertinent. Etenim jus potius ipsum habendi Lotariam pro obje-

objecto & forma concessionis feudalis haberi debet; hoc vero cum ad certum locum civitatis, territorii &c. soleat esse restrictum, qui locus foundationis aut receptionis dici solet, ideo potius pro feudo rei immobilis, & ita pro feudo proprio reputandum esse, censemus. Licet enim olla circumforaneorum soleant ita transferri, tamen jus ipsum Lotariae publicae, certis locis proprium esse potest.

THES. XIV.

Vnde magistratus municipalis non habet potestatem, sine praesentio & consensu Principis, seu Domini territorialis, talem Lotariam ordinandi, vel aliis erigendi facultatem concedendi, siquidem neque ad jurisdictionalia, neque ad Politiam municipalis administrationem, hoc genus in se spectatum referri potest, cum neque commercium aliquod civicum *Bürgerliche Nah- rung und Gewerbe* contineat, sed potius ad commune commercii genus reducat, neque ad conservationem civitatis politicam per se spectet. Vnde inferimus, extraneum lucrum aliquod ex Lotaria capientem, non teneri ad censum vel gabellam detractionis magistratui municipali, licet forte eidem alias per concessionem Principis vel diutinam observantiam gabella detractionis de bonis, quandoque etiam mobilibus, comperat, siquidem gabella talis tanquam census quidam protectionis & subjectionis solvitur, quam recognitionem proinde hoc casu magistratus municipalis pretendere non potest, per ea, quae tradit Muller. *in Resolut. March. resol. 5. & seqq.* Porro inde concludimus, quod magistra-

*Magistra-
tus Muni-
cipalis non
potest per
se Lotaria
concedere.*

tus

tus talia per se annitens, involet in jura majestatis & territorialia Principi reservata, atque idcirco arbitriam incurrat poenam; quo spectat prohibitio Churfürstlicher Policen Ordnung Tit. VIII. §. 4. ibi: Die weil auch durch das Topff-Spiel oder den Glücks Topff manchen das Geld aus denbeutel gelocket worden; soll dergleichen in unsern Landen keinen zu halten nachgelassen / vielweniger andere Gauckel-Spiel / oder Würffel / Stech / Kreisel / und dergleichen Buden und Tische / wie sie Nahmen haben / verstatet / oder von desselben Orthes Obrigkeit / welche dessen ungeachtet / solche nachgeben einhundert Thaler zur Straffe / zu milden Sachen anzi w. n. den von denen Amtsfassen und Amts Unterthanen / so bald durch die Schöffer eingebracht / wegen der Schriftsäßigen aber / unterthänigster Bericht an unsere Regierungen zu fernerer Verordnung unverzüglich erstattet werden.

THES. XV.

*Quinam
admittan-
tur ad Lo-
tarie sor-
tes.*

Admittuntur ad Lotariæ sortes omnes omnino, non speciatim lege Lotariæ aliqua, aut foundationis modo, aut alias jure prohibiti, sine differentia sexus, ætatis, dignitatis, aut ordinis civici: cum enim hic actus ex naturali potissimum ac gentium jure dependeat, omnes etiam per naturam & legem ad agendum habiles admitti debent. Non tamen cogi quem posse ad redimendas sortes, arbitrantur, siquidem contractus ex jure gentium liberum contrahentis consensum præsupponunt, l. 5. C. de O. & A. l. 16. C. de jure delib. Sive extraneus sit &

Prin-

Principi non subjectus, sive etiam subditus; in hac enim libertate sortium, naturale Lotariæ consistere videtur, cum alias magis in collectam aliquam necessariam & genus contributionum civicum degeneraret.

THES. XVI.

Collocantur autem adventantes ad Lotariam, sine dignitatis aut ordinis respectu, ex sola ratione temporis, ut ita in ultima sorte sorte redimenda, præoccupantis conditio habeatur melior, *arg. l. 32. ff. de procurat.* Et si simul uterque conueniat in petitione, sorte inter competitores res erit dirimenda, *arg. l. 14. ff. de judic.* Potest tamen lex Lotariæ ita fieri, ad alliciendos emtores, ut, qui primum vel ultimum symbolum redemerit, aliqua prærogativa gaudeat, *arg. l. 48. ff. de pact.* Unde Delrio in *Disquisit. Magic. Lib. IV. Cap. 4. Quæst. 2. conclus. ult.* ait: *Ultimo potestis, cui merx aliqua cessit, quia symbolas contulit plures omnibus aliis, vel certo numero, intra tot dies, mercem illam recipere & retinere. Intellige quando-cunque acceperit, dummodo non sit res ex numero illarum, quæ jam expositæ sortitioni: quod si ex earum numero sit: non potest eam accipere, postquam aliqui jam symbolas contulerunt in hanc mercem, ipsis jus fuit acquisitum: sic fit, ut venditor alteri addicere nequeat, quod jam alteri est venditum: Hac ratio satis indicat, hoc intelligendum, quando instituta jam sortitione, vel acceptis symbolis, sit promissio. Si enim promissio facta foret, ut solet, ante symbolarum collationem, hoc est, initio, quando sortis divisorie sive Lotariæ sit publicatio, tum enim sæpe additur, qui primam symbolam contulerit, is*

*Quintæ
admittan-
tur ad Lo-
tariæ sor-
tes.*

C

habebit

habetur hoc vel illud, qui intra tot dies tot symbolas contulerit, habebit illud, qui numero vicerit reliquos, intra tale tempus, illi hoc ceder, tunc isti omnia, etiam post inchoatas sortes, acquirerent, que ipsis promissa fuerunt ante sortitionem, & antequam res ipsa venderetur, & tunc sortientes in hanc conditionem consensisse sunt censendi.

THES. XVII.

*An jus protimi-
scos locum
habeat in
Lotaria.*

Verum quæritur: Num jus Retractus, aut protimiseos, locum habeat in Lotaria, & forte civis aut incolæ in redemptione sortis, sit præferendus extraneo? Quod negamus, quia objectum & ratio juris retractus deficit, hoc enim jus locum tantum habet circa res immobiles, atque ex illa ratione, ne alias extraneis admittis, civitas vel alia communio spoliatur bonis, & ita facultates & vires territorii, unde sæpe victualia sive victus ad civitatem deferri debet, alienis exponatur manibus, & inde copia rerum ad vitam necessariorum posset deficere. *Rennem. Jurispr. Rom. germ. de J. Obligat. Disp. XXXIII. ibes. 44.* Verum hæc ad Lotariæ institutum applicari non possunt.

THES. XVIII.

An prodigus sit, nimis sortibus indulgens.

Porro hic non inutiliter quæritur; An pro prodigo declarandus sit ille, qui spe incerta illectus, nimis multas partes, *Loose*/ redimit? Quod primo intuitu affirmandum videtur, quia suum jactare dicitur, qui incertum negotium periculi plenum subit, *arg. l. 25. ff. de probat.* At vero cum sola incertitudo negotii rem non faciat illicitam,

licitam, imo potius contrarium a Doctoribus axioma ceptum sit, incertitudinis nimirum ratione licitum esse, quod alias in certo casu foret illicitum, *arg. l. 17. l. 23. C. de usuris*, & quod ob incertitudinem eventus multa subsineantur, quæ alias non subsisterent, juxta *l. 12. & seqq. ff. de Act. emt. vend.* idcirco actus ille sortium publice licitus & adprobatus, non poterit alicui vitio verti, nec pro luxu reputari illud, quod animo non perdendi, sed lucrandi positum fuit, & periculum compensatur cum eventuali lucro. Aliter se res habet in aliis ludendi generibus, ubi spes lucri improba concurrat, aut simul cum alea & temporis & patrimonii jacturam quis facit, sua negligit, & prodigus familiæ existit, *l. 1. ff. de Curat. furios.* Si enim nec emtio fructuum incertorum, neque emtio metallifodinarum improbat, licet eventus sapius votis non respondeat, ita nec redemptio talis Loterix, ob incertos casus in prodigalitate vitium imputari poterit.

THES. XIX.

Ex hisce igitur inferimus, cum, qui, licet sciens, pecuniam dederit ad ludendum in tali urna publica, habere repetitionem: quia ludus habetur licitus, non obstante *l. 1. §. 3. ff. de aleat.* utpote quæ de collusore ac receptatore ludi illiciti loquitur. Add. Berlich. *decis. 66.* Quod tamen limitandum censemus 1) si quis minori pecuniam scienter ad ludendum dederit, & is nihil acceperit, *arg. l. 11. §. 6. ff. de minor.* Alias si acceperit aliquid ex sorte, tenebitur ex æquitate in tantum, in quantum

An pecuniam tuam in tuo dans ad Loteriam habeat repetitionem.

locupletior minor fuerit factus, *argum. l. 46. ff. d. O. A.*
 2) Si parentes liberis quid dederint, ad tentandam suam fortunam, siquidem hoc ex affectione datum intelligitur, & donatum, & ideo cessat repetitio, *arg. l. 34. ff. de negot. gest.* Unde quoque nec collatio in communem hereditatem datæ pecuniæ, aut accepti lucri, obtinebit: non enim illa conferenda, quia donatum liberis collationi non est obnoxium, *l. 18. C. fam. herisc.* Neque hoc, quia non ex re parentum proficiscitur, sed aliunde, ex bona liberorum fortuna, non intuitu parentum, sed ex propriæ fortunæ exitu, est acquisitum, jam vero aliunde ex re parentum, de quorum successione agitur, quæ sita, non sunt conferenda, *E. ult. C. de Collat. Struv. Syntagm. Jur. Civ. Exerc. XXXVII. th. 32.* Referendum autem tale lucrum erit ad peculium adventitium, in quo patri, vi patriæ potestatis, ususfructus, liberis proprietates competit, *arg. l. 6. pr. C. de bon. quæ liber.* Præterea 3) repetitio pecuniæ datæ cessabit, si quis pecuniam dederit scienter isti, qui alias nihil posuisset, & tantum hac datione persuasus atque excitatus aliquid posuerit, quia talis creditor similis videtur isti, qui sciens perdituro pecuniam credit, qualis repetitionem non habet, juxta *l. 12. §. 11. ff. mand.* Sin tamen acceptum quid fuerit, tenebitur ex æquitate, propter rationem lucri, ad restitutionem, *arg. l. 14. de cond. indeb.*

THES. XX.

*Quid juris
in tutore,
Curatore*

Cæterum si Tutor vel Curator, nomine pupilli vel minoris sui, quid posuerit, & casus contrarius extiterit,

rit, non potest hoc in rationes tutelares referre, nisi forte *ac negotio-*
 ex necessitate quadam, pro conditione pupilli, id fece- *rum gesto-*
 rit: non enim culpa vacuus dici potest, qui periculo *re.*
 fortis se committit, & de se quis queri debet, qui pericu-
 lose posuit, *l. 14. pr. ff. ad Leg. Aquil.* aut sciens even-
 tum, tamen periculo se committit, *l. ult. ff. commod.* Si-
 militer si ille, qui pecuniam alienam exercet, dederit
 quid in sortes, de nummis sui principalis, & spe excide-
 rit, non dabitur regressus ad repetendum positum, qui
 negotiorum periculi plenum suscipit, & ita a culpa non
 potest dici immunis; cum de contrario eventu cogitare
 & potuisset & debuisset, *arg. l. 11. ff. de negot. gest.* Et li-
 cet in contrarium moveri posset, fortis exitium esse ad
 casum referendum, quem tutor, curator, ac negotiorum
 gestor non præstat; Attamen, cum culpa illorum casum
 istum antecedit, utique & eventum hunc casualem præ-
 stare, & ita damnum soli subire debebunt. Et licet du-
 rum videatur, ut lucrum ex tali negotio, ad minorem
 vel principalem pertineat, damnum vero tantum ad tu-
 torem vel gestorem, cum alias lucri & damni debeat esse
 proportionata inter se æqualitas, nec valeat ista con-
 ventio, qua unus omne lucrum capere, alter omne
 damnum ferre debeat, *l. 29. §. 2. ff. pro soc.* Etenim re-
 sponderetur, alia ratio est societatis, alia tutelæ, curæ aut
 gestionis; ibi enim ex natura contractus societatis æqua-
 les præstationes fieri debent; At vero in his, per se in-
 æqualis est principalis & gestoris obligatio, ut hinc ab
 uno contractu dispari, ad alium non possit fieri com-
 moda argumentatio.

THES. XXI.

*Symbols
obsceno
utens quo-
modo te-
neatur.*

Præterea cum redemptores sortium, testis plerumque nominibus, & certis nominum symbolis uti soleant, non inconcinne quaritur; An, qui obsceno aut indecoro vel ludico symbolo utitur, incidat in extraordinarium crimen, aut injuriarum teneatur? Nos distinctim procedendum esse, arbitramur; aut enim quis verbis obscœnis ac injuriosis utitur, & illum injuriarum quidem teneri non arbitror, quia injuria committitur in certam personam, *l. 18. §. 3. 4. ff. de injur.* & effectum injuriandi præsupponit, sine quo satyra quidem & dictum scommaticum, non vero injuria facta intelligitur, *l. 3. §. 1. ff. de injur.* nisi forte ex circumstantiis animus injuriandi appareat, siquidem animus delicta distinguere dicitur. Attamen in crimen extraordinarium talem incidere, arbitramur, *arg. l. 1. §. 2. ff. de extraord. crim.* quod enim ibi dicitur, teneri istum crimine extraordinario, qui *quid impudicitis gratia fecerit*, merito huc applicari poterit, siquidem hoc judicium criminum extraordinariorum non tantum ad facta, sed & ad verba impudica referri debet, prout reliqua horum criminum exempla declarant; Atque idcirco hunc pœnam arbitriam incurrere putamus, & infamiam facti subire, cum per tale obscœnum verbum factumve increpatione ac censura dignum, merito eius existimatio apud bonos, graves & honestos viros oneretur, *arg. l. 13. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Imo symbolum hoc, tanquam odiosum & bonis moribus adversum, rejici atque cum nota censoria remitti

mitti posse, censemus, vel ex jure quodam retorsionis, si affectus injuriandi appareat, vel ex iudicis & Principis auctoritate, cujus nec oculi nec aures malis dictis scriptisve sollicitari debent, *arg. l. un. C. si quis Imper. maled.* Quodsi vero quis symbolo tantum indecoro aut ludrico utatur, poenam quidem aut crimen non incurrit, agit tamen contra regulas prudentiæ politicæ, siquidem per hoc prodit animum levem, aut vanis rebus ludicrisque inhiantem, & rem certe, si minus injustam, tamen indecoram facit.

THES. XXII.

Modus, Taxa ac Forma Lotariæ publicæ a dispositione quidem Directoris sui superioris dependet, cuius est, formam, finem & modum præscribere; ita tamen comparatus esse debet, ut sit æqualis quadam proportio, inter lucrum & periculum, ne alias majus sit periculum, quam par est, aut contra prudentiæ regulas, negotium in casum reddamus, & deterreamus emtores, aut contra moralitatis regulas impingamus, nimium lucrari cupientes, cum damno terræ. Add. Pufend. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. V. cap. 9. §. 7.* Unde ratio æquitatis & justitiæ exigit, ut ne major numerus notarum infelicium, in urnam injiciatur, quam ferat æstimatio rerum, quæ sorti exponuntur, & ut fortunatæ omnes initio statim in urnam conjiciantur, Struv. *Syntagn. Jur. Civil. Exerc. XV. lib. 58.*

Modus & Taxa Lotariæ.

THES. XXIII.

THES. XXIII.

*Aliquis
excessus
periculi
toleran-
dus.*

Aliquis tamen periculi excessus omnino tolerandus, partim ut institutum hoc Lotariæ sine suo collectandi non destituatur, partim ut sumtus impendendi, v. g. circa ministros Lotariæ &c. compensentur, quod regula æquitatis admittit, Pufend. *de Jur. Nat. & Gent. Lib. V. cap. 9. §. 7.* Ubi tamen bene Molina monet, ut ab initio statim indicetur, quantum excessus sit, ac in quem usum impendi debeat; Verba ejus sunt *de J. & J. Tract. II. Disp. 509. num. 4.* sequentia: *Ministri electi ac deputati ad sortium negotium, accipere possunt justum stipendium sui laboris & industrie, quoniam non tenentur ea apponere gratis. Et quidem si solvendum sit ex pretio justo rerum, quæ venduntur, ut sortes circa illa mittantur, ita, quod stipendium illud solvat, qui eas res vendit, accipere possunt, quantum pretium is illis constituerit. Si vero pretium solvendum sit ex contributionibus, ita, quod contribuentes ad sortes non solum contribuere debeant justum pretium rerum, circa quas sortes mittuntur, sed etiam ejusmodi stipendia, tunc solum eligi debent ministri, qui ad id fuerint omnino necessarii, & stipendium eorum debet esse moderatum, debetque res absolvi, quanto breviori tempore fuerit possibile, ne accrescant ejusmodi stipendia. Et credo, deberet id a principio promulgari, quando leges sortium promulgarentur; & quantum unusquisque pro singulis schedulis, quæ inscripto nomine ipsius in urnam mittendæ essent, contribuere deberet, ut unusquisque attenderet ac sibi consuleret, num etiam ad illa stipendia contribuere vellet, ne involuntarie*

varie id decepti solvant. Simili modo, quando ex contributionibus aliquid ultra valorem rerum, circa quas sortes mittuntur, extrahendum etiam esset in opus aliquod pium, promulgandum id esset a principio, modo explicato, ut, qui contribuunt, attendant, ac sibi consulant, num ad id etiam velint contribuere, ne similiter involuntarie ac decepti id solvant.

THES. XXIV.

Neque porro injustum arbitramur, ut Princeps vel ^{Decima} alius superior, partem lucri, v. g. decimam, detrahere ^{superiori} & retinere possit, partim tanquam censum protectionis, ^{detrahi} partim ad usus pios vel alios publicos; siquidem hoc ^{potest.} eidem ex jure fisci, quod in suo territorio habet, non erit denegandum, modo tamen & illud conferentibus ab initio significetur. Neque enim illam deductionem decimæ ex natura contractus fluere censeo, neque sub præstatione gabellæ, alias quandoque de contractibus, ex observantia quadam solvi solitæ, contineri puto, quia hoc genus contractuum ad ordinarios non refertur, nec per omnia legibus provincialibus subjacet. Et licet alias contrahentes in loco, se statutis illius loci tacite subicere dicantur, ut idcirco iisdem in formalitate sui contractus obligentur, *arg. l. 6. ff. de evict.* Tamen locus Lottariæ non ita præcisè pro loco contractus haberi debet, cum redemptores sortium sæpius ibidem plane non compareant, nec fortes semper ibidem redimant, sed per constitutos in aliis locis provisorès, extra locum Lottariæ redimant & pecunias suas transmittant: Atque sic ordinario jure provinciali censeferi non debet, sed potissimum hic con-

D

tractus

tractus Lottariae ex regulis Juris Natura & Gentium æstima-
 mandus venit, ita nimirum, ut ejus præcepta cum placiti-
 tis juris civilis sint attemperanda: arg. l. 6. ff. de J. &
 J. Dicta superius confirmat Delrio in *Disquisit. Mag.*
Lib. IV. cap. 4. conclus. 2. n. 5. ibi: Quinto licite deducitur
 & accipitur ex tota summa pretii emptionis, illa quantitas
 pecunie, quæ assignata fuit a Principe ad opera pia vel
 eleemosynas, sive illa deducatur a portione venditoris seu
 pretio, sive a lucro, quod cedit sortientibus, sive ab utro-
 que, præsertim si hoc ab initio promulgetur. Pia enim
 & religiosa est consuetudo, quia Princeps vel respublica
 talem licentiam contractus sortiarum concedens, aliquam
 partem sibi reservat: Nec injuriam facit contrahentibus,
 non venditori, cui non tenetur aliter licentiam dare: non
 emptoribus, qui hac conditione pecunias suas sorti subii-
 ciunt. Quod de causa pia dictum, idem tenendum de
 publica necessitate, quare posset aliquid reservari ad sol-
 vendum debita Principis vel reipubl. si tamen vere talis
 necessitas subesset. Ideo quando conceditur in remedium
 civitati vel communitati, ut posset Princeps aliquid se-
 gregare ad necessitates illius Civitatis, sic etiam posset ta-
 xare liberaliter summam pretii.

THES. XXV.

*Omnis
 Fraus præ-
 servanda.*

Inprimis tamen providendum est a superiore, ut
 omnia sincere atque ex fide gerantur, atque ut dolus
 & fraus omnis absit, omnisque respectus personarum
 cesset, nec detur gratificationi locus; debet enim for-
 timentium æqualis omnino esse conditio, quo collimat
 l. 24. §. 17. ff. de fideicomm. libert. ubi Jctus ait de ser-
 vis

vis per sortem manumittendis: *Quod si ordo scripture non pateat, sortiri eos oportebit, ne aliquam ambitionis vel gratie suspensionem Pretor subeat, aut meritis cujusque allegatis arbitrari eos oporteat.* Ex quo textu generaliter id inferendum, liberum debere esse sortis iudicium. Vnde si aliquid in sortibus mittendis fiat, quo aliqui eorum, inter quos sortes mittuntur, minus sint expositi, ut commodo lucrandi, ita & periculo amittendi, iniustitia in eo contractu executioneve illius committitur, cum onere restituendi emolumentum, quo aliquis ea de causa privatur, ex arbitrio prudentis iudicis. conf. *Molin. de J. & J. Tract. II. Disp. 509. num. 3.*

THES. XXVI.

Intercedit autem inter eum qui sortes pecunia redimit, & eum, qui Lotariam instituit, species contractus spei, qui ad emptionem venditionem proxime accedit, cum adsit consensus partium, merx & pretium in pecunia numerata consistens ac certum, atque ita formalia contractus empti venditi concurrunt. *l. 1. ff. de contrab. empt. pr. Inst. eod.* Quamquam enim merx non videatur certa, tamen consideranda est, non hic obiecti loco poni illud, quod lucramur, quippe quod nondum est, & ita æstimationem non recipit. *l. 7. ff. de hered. vel act. vend.* Verum quia spes in venditionem deducta habetur, quæ contractum hoc casu sustinet, uti clare docet *l. 3. §. 1. ff. de contrab. empt.* ibi: *Aliquando sine re venditio intelligitur, veluti, cum quasi alca emittur.* Add. *l. 11. de hered. vel act. vend.* Atque hæc deinde

Contra-
ctus sor-
tientium
empti ven-
diti.

inde spes, lucrum vel damnum per accidens superveniens, tanquam accessorium contractus casuale post se trahit, proinde hoc ad essenziale contractus non constitutum sed saltem consecutivum pertinet. Etenim, ut bene ad hanc rem ait Frantzk. in Comment. ad Pand. tit. de Contr. empt. n. 114. ibi: sunt res, quæ non sunt, vel per se & revera, vel saltem apparenter, ratione scilicet contrahentium tales. Per se & revera tales sunt, quæ legitime sperantur, quales sunt fructus fundi, factus animalium &c. Apparenter tales sunt, quæ quidem jam sunt & existunt, sed quia de illarum corporibus, quantitate & qualitate contrahentibus non constat, perinde est, ac si & ipse non extarent, quales sunt alea, jactis retis, &c. Rerum posterioris emtio venditio præsens & pura est, & pretium debetur, etiamsi nihil capiatur, quia in effectu ipsa spes, loco rei, quæ per naturam jam existit, & emtionem quasi sustinet, emta est.

THES. XXVII.

Contra-
ctus Lotta-
ria est em-
tio pura &
præsens.

Censetur autem Emtio venditio Lotariæ, contractus purus ac præsens sine conditione celebratus; Vnde ex natura contractus empti venditi, commodum & periculum ex sortibus extractis superveniens, cedit lucro vel damno emtoris, nec datur repetitio pretii, licet quis nihil perceperit, quia spes tantum vendita intelligitur, juxta d. l. 8. §. 1. ff. de contrab. empt. Hillig. ad Donell. Lib. XIII. cap. 1. lit. G. Et hinc differt a venditione fructuum futurorum, qui cum certiore spem involvant, & quasi jam in semine ac herbis vel arboribus lateant, conditionalem emtionem involvunt, si modo quid nascatur, & ideo, si ni-

si nihil natum fuerit, deficit emtio, & datur pretii soluti conditio. Struv. *Synt. Jur. Cic. Exerc. XXIII. lb. 26.* At secus se res habet in emptionibus merae spei, ubi contractus statim pro perfecto habetur, simulac inter partes consensus est, Mantica *de tac. & ambig. Convent. Lib. IV. tit. 18. n. 26.* Vti differentiam hanc bene annotat, Gometz. *Variar. Resolut. Tom. II. cap. 2. n. 7. ibi:* Ratio est, quia in fructibus verisimiliter partes cogitant, quod nascantur, a communiter accidentibus, ideo eis non natis, nihil debetur, quia sub illa conditione videntur partes contraxisse. In alea vero non est illa verisimilitudo, quia actus se habet ad esse & non esse, & ideo sola spes videtur empti.

THES. XXIX.

Ceterum facile concedimus, quasdam personas etiam donationis jure posse admitti ex liberalitatis quadam specie, quorum pertinent die *Frey: Zettul* / eodemque potest trahi *l. 3. C. de donat.* Similiter loco numeratae pecuniae alia res posset dari v.g. fundus ad extruendam Ecclesiam, lapides ad reficiendos muros civitatis, & in hujus dati compensationem certae sortis posse reservari, per modum alicujus permutationis, aut dationis in solutum, cum modus ipse rem non variet, nec conditionem fortientium immutet.

An etiam jure donationis vel permutationis fortium jus queat redimi.

THES. XXIX.

Est vero contractus Lotariae emti venditi, nominatus, bilateralis, bonae fidei, atque ad haeredes transitorius *arg. l. 13. C. de Contrab. & committ. stipul.* Unde fuit (1) quod poenitentia locum non habeat, nec datum possit condici, neque extractio sortium denegari, *bi.*

Est contractus Lotariae emti venditi nominatus, bi.

lateralis,
& bona si-
dei, unde
Consilia
Baria du-
cuntur.

& si alter contra fidem pacti cessaverit, aut aleam pe-
nitus facere nolit, teneatur ad interesse, *arg. l. 12. ff. de*
A. E. V. Add. Delrio in Disquisit. Magic. Lib. IV. cap. 4.
Quest. 2. Conclus. 2. Quænam vero ratio æstimandi in-
teresse sit ineunda, non æque in promptu haberi potest
judicium: certe ad solum lucrum non potest respici,
cum hoc incertum sit, *l. 29. §. 3. in fin. ff. ad Leg. Aquil.*
nec etiam damnum poterit supponi. Sed num forte ad
conditionem sortientis erit respicendum, si is homo
sit alias fortunatus, aut si pauper sit? movet in contra-
rium, quod in contractibus respectus personarum celsæ.
Certe tota res arbitrio prudentis magistratus dijudican-
da relinquitur, qui ex circumstantiis interesse æstimare
debebit.

THES. XXX.

An Evic-
tionis
præstatio
obtineat.

Verum an evictio rei per sortitionem Lotariæ ac-
quisita præstanda sit? dubium sit ex eo, quod alias in
jactu rei non præstetur evictio ejus, quod incidit.
l. 8. §. 1. de contrab. empt. Imo clarus videtur esse tex-
tus in *l. 2. §. 1. ff. quar. rer. actio non dat.* ubi Paulus
Jctus ait: *Si in alea rem vendam, ut ludam, & evicta*
re, conveniar, exceptione summovebitur emtor. At vero
re penitus inspecta, evictionis præstationem locum ha-
bere, omnino asserimus; est enim contractus sortium pro
oneroso habendus; *arg. l. 5. ff. de navt. fen.* in his ve-
ro ex natura sua evictio venit præstanda, licet non spe-
ciatim promissa fuerit, ut præcipue in emto vendito. *l. 6.*
C. de Evict. Nec obstant rationes dubitandi in contra-
rium allegatæ, siquidem *l. 8. §. 1. de contrab. empt.* loqui-
tur

tur de re *incerta* per rete extracta, cujus nulla promissio specialis fuit, ergo nec evictio esse potest; At vero in casu Lottariæ, res *certa* victori in periculi suscepti pretium assignatur, cujus proinde ex precedenti contractu oneroso, merito præstanda est evictio. Porro *d. l. 2. quar. rer. act. non dat.* loquitur de tali casu, ubi lusor rem alteri scienti vendidit, ut ex pecunia venditionis nomine accepta, ludum posset continuare, tunc in odium prohibiti ludi, datur contra emitorem de evictione agentem, exceptio, qui sibi imputare debet, quod pecuniam scienter ad ludendum in ludo prohibito dederit, quæ tamen constitutio non est trahenda ad consequentias. Conf. Cujac. *ad Jul. Paul. ad d. l. 2. Madaus de contrab. Empt. vend. cap. 3. n. 6.*

THES. XXXI.

Cæterum remedium *l. 2. C. de rescind. vend.* alias *An remedium l. 2. C. de rescind. vend. perimeat ad Lottariæ.* in contractu empti venditii interveniens, non poterit ad nostrum institutum Lottariæ fortitiæ applicari. Neque enim aut insitor Lottariæ conqueri potest, licet lucrum acceptum, positum symbola quantitatem decuplo excedat, neque redimens sortem quicquam poterit repetere, licet nihil pro summa posita acceperit. Scaccia *de Commerc. §. 2. gloss. 5. n. 150.* Est enim generale Doctorum axioma; Quoties res venditur, cujus æstimatio tempore venditionis est plane incerta, si ex eventu probetur læsio, toties remedium hoc cessat. Sande, *Decis. Frisic. Lib. III. tit. 4. def. 16. Fachin. Lib. VIII. Controvers. cap. 36.* In illo tamen sortium genere, quo res a pluribus emitur, & deinde per sortem uni addi-

addicitur, omnino prædictum remedium locum habet, ut non majus per venditorem ponatur, neque exigatur ab emtoribus rei pretium, quam valor rei admittit, tali enim casu inter venditorem & emtorem non est fortitionis conventio, sed simplex contractus emti venditi, ubi juxta naturam contractus lex illa obtinet. Conf. Molina de J. & J. Tract. II. Disp. 509. Vnde Delrio in Disquisit. Magic. Lib. IV. cap. 4. Quæst. 2. Conclus. 2. ita concludit: Notant quinque personarum genera, in hoc contractu lucrari posse. Primo domini mercis seu vendita rei: his licitum est, tantum accipere pro mercibus, quantum possent lucrari alio quovis contractu licite illas distrabentes; quod tantum possint accipere, probatur; quia quoad ipsos intercedit cum sortientibus contractus venditionis, venditor autem posset consequi, quantum merces illi justii lucri adferre valeant, hoc est, quanta sunt ipse merces. Si ergo amplius acciperet venditor iste, injustum foret lucrum & teneretur restituere.

THES. XXXII.

Cautio tamen a fisco publico, ratione sortium & Lottariæ, exigi non potest, cum fides publice data satis securos præstet sortientes. Licet enim alias propter spem lucri etiam cautio queat exigi, arg. l. 9. pr. ff. usufruct. quemadm. cav. Tamen hoc in privatis tantum obrinet, non circa fiscum, utpote qui semper solvendo præsumitur, atque ab ordinariis cautionibus est immunis, l. 2. §. 1. ff. de fund. dot. l. 1. §. 18. ff. ut legator. serv. caus. cav. Quietantiam tamen sive apocham publicam, redi-

Fiscus non obligatur ad cautionem sortientibus præstandam.

redimens, sortem recte exigit, hæc enim non ad cautionem, sed ad probationem collati symboli pertinet, & necessaria est, ad legitimandam suam personam, si quis lucrum acceptum ex sorte auferre velit.

THES. XXXIII.

Præterea non inutilis hic incidit quæstio; An spes illa lucri ex Lottaria sit in bonis nostris computanda? Nos distinguendo respondendum esse, putamus. Aut enim respicimus *spem* ipsam seu potius jus, quod redemptor sortis ad Lottariam habet, & hoc omnino in bonis est, cum referatur ad jus ex Contractu quæsitum, qualis est communis contractuum effectus *l. 3. pr. ff. de O. & A.* Quapropter hoc jus etiam cessibile erit *arg. l. 3. Cod. de donat.* nec non legari potest, tanquam dubius litis eventus *Nov. 112. cap. 1.* Non tamen in æstimationem census aut taxam facultatum venire poterit, quia incertum æstimationem non recipit, & hæctenus bona non auget, verum pecunia talis in symbola Lottariæ collata, pro pecunia otiosa, non fœnoratitia est habenda, cum lucrum inde proveniens, non sit pecuniæ, sed fortunæ, nec lucrum negotiatorium, sed casu sortis existens. Neque in communem hereditatis divisionem veniet, cum spes in se sit individua, tales vero res, quæ natura vel lege divisionem non recipiunt, frustra in iudicium fam. erisc. petuntur *l. 25. ff. fam. erisc.* Tenetur tamen coheres documentam Lottariæ ex consensu reliquorum recipiens, ad cautionem, de lucro sorte obyeniente, communicando &

An spes Lottariæ sit in bonis computanda.

E con-

conferendo in communem divisionem d. l. 25. §. 9. & seqq. Struv. Syn. Jur. Civ. Exerc. XV. lb. 8. Habebitur vero talis coheres, documentum ejusmodi apud fiscum Lottariae producens & primum postulans, pro mandatario reliquorum, ut fiscus huic solidum solvens, liberetur a reliquis, siquidem in tanta symbolorum multitudine, & diversissimis fortientium conditionibus, impossibile foret, omnium statum explorare, si non fides habeatur producto instrumento, modo producens ritulam & causam suae possessionis, vel ex nominis sui inscriptione, vel aliunde facere queat, siquidem ostensio litterarum principalis, mandatum inducit praesertim L. 7. C. mand. & ita solventem bona fide fiscum liberat.

THES. XXXIV.

Ejusdem
materie.

Aut vero consideramus *lucrum* ipsum, ex futuro casu incerto dependens, & illud pro acquisito haberi, aut in bonis nostris computari non potest, cum incertum penitus sit, & ita ratio illius haberi non possit. Unde quoque damnum sive diminutionem bonorum is pati non dicitur, qui *spem futuri lucri* perdidit l. 26. ff. de damn. inf. Nec obstat l. 38. §. ult. ff. ad Leg. Falcid. ex qua Ddres colligunt, illud etiam nostrum dici, cujus consequendi spes saltem adest. Verum responderetur, exhibet ille textus tales casus, ubi jam jus erat certum & radicum, ac res jam actu existens adest, cujus plenum dominium saltem per

per pactum vel dispositionem legis est quodammodo
 suspensum &, sublato impedimento, plenius se exerit;
 At vero lucrum ex sorte sperandum, antea inter attri-
 buta nostri juris connumerari non potest, donec victo-
 ria nobis per fortunam adjudicata fuerit. Objicitur
 porro *l. 23. ad Leg. Aquil.* ubi damnum etiam spei inter-
 ceptæ in æstimationem Legis Aquilæ venit. Rsp. pari
 modo agitur de lucro certo, ex qualitatibus servi, aliis-
 que circumstantiis colligendo, quod ad casum lucri in-
 certi trahi non potest. Opponitur denique *l. 52. de ac-
 quir. rer. dom. l. 143. de V. S. l. 15. ff. de R. J.* Et inpru-
 mis *l. 49. de V. S.* ibi: *Æque bonis adnumerabitur, etiam-
 si quid est in actionibus, petitionibus, persecutionibus:
 nam hec omnia in bonis esse videntur.* Ex quibus con-
 junctis textibus videtur concludendum, quod lucrum
 quoque sortis sit in nostris bonis, cum ex contractu
 Lottariæ detur illius persecutio: At vero distinguendum
 esse facile patet, inter lucrum jam obtentum, & speran-
 dum; illud in bonis nostris recte est, ejusque plenaria
 est persecutio, non hujus, quod nondum in rerum natu-
 ra existit. Quare etiam a contrario dicitur in *l. 204.
 de R. J.* ibi: *Minus est actionem habere, quam rem, nec
 ejusdem efficaciæ spes esse dicitur, & res ipsa.* Alciat.
Lib. II. Conf. 40. n. 7.

THES. XXXV.

Atque hinc decidenda venit quæstio; An credito-
 res ejus, qui posuit quid in Lottaria, possint moto
 concursu, immisionem aut executionem eventualem

An immis-
 sio Credi-
 torum it.
 arrestum
 & hypo-

E 2

impe-

& hypo-

hypotheca generalis lucrum Lot-
erum Lot-
varie affi-
ciat.

impetrare in illud, quod speratur ex Lottaria, debitoris lucrum? & nam arrestum generale aut hypotheca expressa vel tacita, ad hoc quoque eventuale lucrum queat extendi? Quod nos utrumque affirmandum esse censemus, ita nimirum, ut eventualis effectus arresti, immisionis ac hypothecæ generalis, etiam illuc pertineat: cum enim spes ipsa futuri lucri in bonis reputanda sit, juxta antea tradita, & imprimis juxta l. 73. §. 1. ff. ad Leg. Falcid. ibi: Magna dubitatio fuit de his; quorum conditio mortis tempore pendet, id est, an quod sub conditione debetur, in stipulatoris bonis annumeretur, & promissoris bonis detrahatur? sed hoc jure utimur, ut quanti ea spes Obligationis venire possit, tantum stipulatoris quidem bonis accedere videatur, promissoris vero decedere. Atque etiam spes in conventionibus facit, ut quis Creditor dicatur l. 42. pr. d. O. & A. §. 4. f. de V. O. Et Jctus in l. 54. de V. S. ait: Conditionales creditores dicuntur & hi, quibus nondum competit actio, est autem competitura, vel qui spem habent, ut competat. Vnde quoque expresse concluditur in l. 11. ff. quib. ex caus. in poss. eat: Quod etiam propter nudam spem, mitti quis possit in possessionem. Add. l. 4. ff. de Separat. Ex quibus omnibus recte infertur, quod arrestum generale vel immisio, afficiat omnia debitoris bona, ut hinc quoque merito ad spem presentem & lucrum futurum extendi queat, quia hypotheca generalis & presentia & futura, acquisita complectitur l. fin. Cod. que res pign.

oblig. in illud in Lottaria, quod speratur ex Lottaria, debitoris lucrum? & nam arrestum generale aut hypotheca expressa vel tacita, ad hoc quoque eventuale lucrum queat extendi? Quod nos utrumque affirmandum esse censemus, ita nimirum, ut eventualis effectus arresti, immisionis ac hypothecæ generalis, etiam illuc pertineat: cum enim spes ipsa futuri lucri in bonis reputanda sit, juxta antea tradita, & imprimis juxta l. 73. §. 1. ff. ad Leg. Falcid. ibi: Magna dubitatio fuit de his; quorum conditio mortis tempore pendet, id est, an quod sub conditione debetur, in stipulatoris bonis annumeretur, & promissoris bonis detrahatur? sed hoc jure utimur, ut quanti ea spes Obligationis venire possit, tantum stipulatoris quidem bonis accedere videatur, promissoris vero decedere. Atque etiam spes in conventionibus facit, ut quis Creditor dicatur l. 42. pr. d. O. & A. §. 4. f. de V. O. Et Jctus in l. 54. de V. S. ait: Conditionales creditores dicuntur & hi, quibus nondum competit actio, est autem competitura, vel qui spem habent, ut competat. Vnde quoque expresse concluditur in l. 11. ff. quib. ex caus. in poss. eat: Quod etiam propter nudam spem, mitti quis possit in possessionem. Add. l. 4. ff. de Separat. Ex quibus omnibus recte infertur, quod arrestum generale vel immisio, afficiat omnia debitoris bona, ut hinc quoque merito ad spem presentem & lucrum futurum extendi queat, quia hypotheca generalis & presentia & futura, acquisita complectitur l. fin. Cod. que res pign.

THES.



THES. XXXVI.

Ex hisce nova exurgit quaestio; An debitor sortem ex Lottaria redimens, possit in praedictum Creditorum lucro fortis renunciare, illudque v. g. ad usum proprium vel publicum destinare? Nos distinguendum arbitramur, inter renunciationem lucri simplicem, & illam, quae cum eventuali donatione est conjuncta. Illa valet in praedictum creditorum, nec actio Pauliana eo casu locum habere potest, quia tale lucrum nondum in bonis debitoris renunciantis existit, & permissum est debitori, lucro saltem delato renunciare, uti claris verbis decidit Ulpianus in *l. 6. pr. ff. quae in fraud. credit.* ibi: *Quod autem, cum possit aliquid querere, non id agit, ut adquirat, ad hoc Edictum non pertinet: pertinet enim Edictum ad diminuentes patrimonium suum, non ad eos, qui id agunt, ne locupletentur.* Siquidem creditores contrahentes cum debitore, praesentia illius bona respexisse & fidem illorum secuti censentur, non futura, quae incerta penitus sunt Gratian. *Discept. Forens. Tom. I. cap. 132.* Berlich. *decis. 114.* Haec vero renunciatio, quae cum eventuali donatione est conjuncta, non valet, in fraudem creditorum facta; quia non potest res efficaciter donari, nisi cujus quis dominum se putet donator, cum alias donatio rei alienae, scienter facta, incidat in crimen stellionatus *arg. l. 16. §. 1. de pignor. act.* aut certe crimen furti, & contrectationem rei alienae dolose involvat *§. 10. ff. de Oblig. quae ex del. nasc.* Vt ideo sortiens lucrum futurum, donando sibi dominium

Num Actio Pauliana hoc queat applicari.

eventualiter arroget, & rem in bonis suis recipiat; jam vero ea, quæ semel in bonis debitoris extiterunt, alienari rursus in fraudem Creditorum nequeunt, atque eapropter actio Pauliana competit *arg. l. 1. ff. que in fraud. Credit.* Et quidem dabitur repetitio, licet alter fraudis particeps non sit, cum contra eum, qui titulo lucrativo rem a debitore possidet, sola fraus debitoris ad revocationem faciendam sufficiat *l. pen. Cod. de revoc. his que in fraud. Credit.* Peretz. in *Comment. ad Cod. d. 1. num. 13.*

THES. XXXVII.

*Conditio
ex mori-
bus.*

Persequimur lucrum ex Lottaria obveniens Con-
ditione ex moribus seu consuetudine. Cum enim in-
stitutum hoc moribus maxime & consuetudine sit intro-
ductum, nec tamen constet de certo actionis nomine,
ad exemplum conditionis ex Lege, dari poterit con-
ditio ex consuetudine, cum consuetudinis eadem vis sit,
ac juris scripti *l. 35. ff. de Legibus* Referrí autem debet ad
actiones personales, cum ex gesto personali oriatur &
contractu. Neque in concursu Creditorum jure quo-
dam pralationis gaudere arbitror, nisi forte ex singulari
fundatæ Lottariæ lege privilegium aliquod sortientibus
fuerit concessum, ut ita facilius redemptores sortium al-
licerentur.

THES. XXXVIII.

*Num de-
tur appel-
latio in*

Cæterum uti a sortis sive fortunæ judicio non da-
tur appellatio, siquidem, ex mente interpretum, fors
superio-

superiorem in terris non habeat Pruckmann. *Consil. causis*
 29. n. 8. 9. Moller. *ad Constitut. Saxon. Part. III. Const. Lottaria,*
 15. n. 9. Ita quoque in Lottaria casu merito cessabit,
 cum gravamen reputari non queat, quod fors intulit,
 cui quis se sponte submitit, jam vero, cessante grava-
 mine, cessat appellatio *arg. cap. 3. de appellat. in 6to.*
 Struy. *Synt. Jur. Civ. Exerc. L. 1b. 3.* nisi forte in ipso
 modo atque exercitio Lottariae gravamen aliquod con-
 tingerit, forte per facta ministrorum v. g. superexactio-
 ne symboli, deductione de lucro illicita &c. ubi merito
 querela & appellatio ad Superiorem erit dirigenda
arg. cap. 43. X. de Appellat.

THES. XXXIX.

Pariter nec restitutio in integrum datur forte mi- *Num de-*
 noribus per sortem laesis, siquidem fors nemini inju- *tur resti-*
 riam facere dicitur, & ideo, cessante laesione, cessat *tutis in in-*
 restitutio *arg. l. 11. §. 4. ff. de Minor. Richt. decis. 99.* *tegrum*
n. 139. Nec obstat *l. 3. §. 7. ff. de minor.* ubi propter *contra*
 spem legati interceptam, datur restitutio; Datur enim *sortem.*
 ibi restitutio, non contra fortunæ casum, sed contra
 factum tertii in damnum minoris paciscentis. Limi-
 tatur tamen decisum (1) si fraudem quis intervenisse
 probare velit, tunc enim non contra sortem, sed con-
 tra dolum concurrentem datur restitutio Marant. in
Spec. aur. Part. VI. sect. 5. Tit. de appellat. n. 257. (2) si
 fortes per errorem dividendum inaequaliter factæ sint
arg. l. 3. C. commun. utriusqu. judic. Add. Fachin. Lib. VIII.
Controvers. cap. 36.

THES.

THES. XL.

Epilogus.

Hæcce proinde de Lottaria instituto, in præsentibus dicta sufficiant, in quibus si quædam non satis commode aut ad omnium gustum scripta appareant, cogitare debet, quod in raro hoc argumento prima tantum fundamenta demonstrare voluerim, nec subsidiis scriptorum satis adjurus, omnia penetrare potuerim, quæ pleniori discussione opus habere videri possent. Interim ita scribere volui, ut & mihi & aliis addere quid liceat, si qua aliquando uberiori tractatione hanc materiam reassumere, & politioem adhuc exhibere, per graviora strepitus forensis negotia, tempus & occasio mihi fuerit oblata.

SOLI DEO GLORIA.





Als Spiel der Lotterie ver-
schafft ein frohes Lachen,
Imfall das liebe Glück uns
in der Gunst behält;
Ein kurzer Augenblick kan reich
und freudig machen,

So bald das grösste Loos nach unserm
Wunsche fällt.

Allein, das Glück ist blind und viele sind
betrogen,

Die wie Aesopi Hund nach leichten
Schatten sehn;

Das

Das Spiel ist kaum vorbei, die Zettel
sind gezogen,
So flucht man auff das Loos, auff wel-
chen Nullen stehn.
So geht das falsche Spiel; doch was du
nein gewendet,
Das war, Hoch-Edler Freund/
ein unbeschränkter Fleiß;
Drum bistu ganz gewis; So bald das
Spiel vollendet,
Es kriege deine Hand den selbst ge-
wünschten Preis.
Ach ja, man zieht das Spiel, du hast ein
Loos erlanget;
Das ist vor Dich vergnügt, und an
sich selber gut;
Schau, wie Dein Ehren-Haupt in sei-
nem Schmucke pranget,
Ja schau den schönen Preis, den net-
ten DOCTOR-Guth.

Wohl

Wohl Dir, Du hast es gut, Gott aber
wird es fügen,
Daß nichts als lauter Heil Dein gan-
zes Leben schmückt;
Es mehre sich Dein Wohl, es lache Dein
Bergnügen,
Und alles, was du thust, sey tausend-
mahl beglückt.

Mit diesen wenigen wollte dem Hochgeehrtes-
ten Hn. DOCTORI zu erlangten wohl-
verdienten Academischen Ehren hergl.
gratuliren Dessen ergebenster Diener

Eucharius Gotthold Müller,
Med. C.



Es ist ein Buch, das ich
nicht mehr sehen kann
Es ist ein Buch, das ich
nicht mehr sehen kann
Es ist ein Buch, das ich
nicht mehr sehen kann

Ein Buch, das ich
nicht mehr sehen kann
Es ist ein Buch, das ich
nicht mehr sehen kann

Ein Buch, das ich
nicht mehr sehen kann
Es ist ein Buch, das ich
nicht mehr sehen kann







X2403645

ULB Halle
006 550 495


3



vdn







Arbe.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE

EO QVOD IVSTVM EST

31

CIRCA

1718, 26

LOTTARIAS

QVAM

ANNVENTE DIVINA GRATIA

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIAE, JULIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE, WESTPHALIAE, ET RELIQA,

IN ACADEMIA SALANA

EX DECRETO ILLUSTRIS FCTORVM ORDINIS
PRAESIDE

VIRO ILLUSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN. CHRIST. WILDVOGELIO,

JCTO CONSUMMATISSIMO, SERENISSIMO DVCI-ISENACENSI
A CONSILII INTIMIS, CVRIA PROVINCIALIS ASSESSORE,
COLLEGIORVM IVRIDICORVM SENIORE, VT ET ANTECESSORE
IN ACADEMIA JENENSI GRAVISSIMO, MECOENATE PIA
DEVOTIONE AD CINERES COLENDO,

PRO GRADV DOCTORALI

D. XXII. OCTOBRIS CIO MDCC XVIII.

Publice in Auditorio Juris Consultorum defendet

AVTOR ET RESPONDENS

JOANNES PAVLVS AEGIDIVS NITSCHIVS

ADVOCATVS GLAVCH - SCHOENBVRG.

JENAE,

LITTERIS MVLLERIANIS.

